

“Common Ground: Sicily and The Poetics of Empire in Vergil’s *Aeneid*”
Sarah Spence

1. ast ubi digressum Siculae te admoverit orae
ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus et longo laeva petantur
aequora circuitu: dextram fuge litus et undas.
haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina
(tantum aevi loginqua valet mutare vetustas)
dissiluisse ferunt: cum protinus utraque tellus
una foret, venit medio vi pontus et undis
Hesperium Siculo latus abscedit, arvaque et urbes
litore diductas angusto interluit aestu. (Vergil, *Aen.*3.410-419)

2. Namque et hoc modo insulas rerum natura fecit: avellit Siciliam Italiae...(Pliny, *N.H.* 2.204)

3. ...Zancle quoque iuncta fuisse
dicitur Italiae, donec confinia pontus
abstulit et media tellurem reppulit unda. (Ovid, *Metamorphoses* 15.290-292)

4. quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,
insula quem triquetris terrarum gessit in oris,
quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis aspargit virus ab undis,
angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Aeoliae terrarum oras a finibus eius.
hic est vasta Charybdis et hic Aetnaea minantur
murmura flammaram rursus se colligere iras,
faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis
ad caelumque ferat flammai fulgura rursus. (Lucretius, *DRN* I. 716-725)

5. Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
ipse: sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
interdumque atram prorumpit ad aethera nubem
turbine fumantem piceo et candente favilla,
attollitque globos flammaram et sidera lambit,
interdum scopulos avulsaque viscera montis
erigit eructans, liquefacta saxa sub auras
cum gemitu glomerat fundoque exaestuatur imo. (*Aen.*3.570-577)

6. praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
cessantem, longos et circumflectere cursus,
quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa (*Aen.*3.429-432)

7. Ut et in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est: nam primi sex ad imaginem
Odyssiae dicti sunt, quos personarum et adlocutionum varietate constat esse graviores, hi autem

sex qui sequuntur ad imaginem Iliados dicti sunt, qui in negotiis validiores sunt: nam et ipse hoc dicit "maius opus moveo." (Sevius, *ad Aen.* 7.1)

8. Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
aeternam moriens famam, Caieta, dedisti:
et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat. (*Aen.* 7.1-4)

9. ...tu quoque magnam
partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
bis conatus erat casus effingere in auro,
bis patriae cecidere manus. (*Aen.* 6.30-33)

10. Mare pacavi a praedonibus (*RG* 25,1)

11. Prima omnium, id quod ornamentum imperi est, provincia est appellata: prima docuit maiores nostros quam praecclarum esset exteris gentibus imperare (Cicero, *Verr.* II II.1)